

Herzog Leopold V. von Oesterreich begabt die Regensburger Kaufleute mit besonderen Rechten in Wien und Oesterreich. Unter den Zeugen Dietrich I. von Liechtenstein.

(Wien, 9. Juli 1192.)*

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Leuipoldus dei gracia dux Austrie et Styrie. Glorie principis interest propensius obsequentes ampliori affectione diligere. et eorum utilitatibus curam adhibere efficacem. sic enim rite dignitatis sue priuilegio fungitur. dum bene meritos ita remunerat. ut ad bene merendum alios inuitet. Inde est quod nos pensato fideli obsequio ciuium ratisponensium. quod serenitati nostre sepenumero prestiterunt. dignum duximus eos plus ceteris honorandos. quorum preceteris deuotionem. euidentibus rerum argumentis totiens experti sumus. De iusticia itaque nostra que nobis soluebatur de rebus quas in terram nostram uenales adduxerunt siue inde reduxerunt. solita liberalitate partem ipsis remisimus. et contra insolentiam eorum qui officijs nostris presunt. eos ueluti familiarius nobis obligatos. stabili iure condonamus in posterum immobili firmitate statuentes. ut si aliquis ipsorum uulnerauerit hominem. ita ut exinde detrimentum membrorum incurrat. quod uulgari le me (Sähmung) dicitur. decem talenta iudici componat. Quod si uulneratus sine iam dicto dampno membrorum fuerit inuentus. pro effusione sanguinis tria talenta iudici componat. Ceterum si aliquis ipsorum quempiam occiderit. ei certam emendandi formam non prescribimus. sed secundum quod potest. cum iudice componat. hoc tamen adicimus. ut si forte iudicem in compositione nimis districtum inuenerit. componat cum domino terre si uoluerit. Statumus (!) preterea ut qui pugno uel fuste aliquem percusserit. ita ut exinde tumor proueniat. tria talenta iudici componat. Quod si pecuniam soluere non poterit. iudex super cutem et crines eius iudicare potestatem habebit. Eandem etiam pacietur penam. qui sine detrimento membrorum uulnerauerit aliquem. si prescriptam pecuniam soluere non poterit. Quicumque uero hominem depilauerit. uel in maxillam percusserit. tres solidos componat. Si autem denarios statutos soluere non poterit. quadraginta plagas in presencia iudicis cum baculo recipiet. Si uero quispiam uerba contumeliosa alicui dixerit. et filium meretricis appellauerit. quadraginta denarios dabit. Quod si filium canicule uel furem nominauerit. eandem sustinebit penam quam pro depilatione et maxille percussione prenotauimus. Si quisquam seruientem suum uerberibus uel qualicumque modo corripuerit. iudici super hoc non respondebit. Si seruiens alicuius eorum aliquid contra iudicium fecerit. de eo iudicetur iure statuto. et dominus eius in pace et sine molestia cum omnibus que habet manebit. Si iudex alicui eorum aliquid obiecerit. nec sit qui super eodem accuset eum. siue querimoniam faciat. sola manu se purgabit. Si forte guerimonia de conuentione mercationis eorum orta fuerit. hij qui uocantur litcovfare (Kaufvermittler, Unterhändler, Fürkäufer). contra eos non admittantur in testimonium. immo honesti uiri qui appellantur hospites idem wirte. et quibus merito credi debeat. siue sint wiennenses siue ratisponenses. in causa eorum audiantur. Si de hereditate inter eos querimonia mota fuerit. iudex de hoc non iudicabit. sed ad iudicem in cuius iurisdictione hereditas illa posita est. eos recurrere faciat. Idem fieri uolumus si pro debito guerimonia nata fuerit. nisi probari possit. quod de mercatione hic facta res agatur. Si alibi quam in terra nostra quisquam eorum quempiam uulnerauerit. et hic postea lesus eum inuenerit. et de eo querimoniam fecerit. secundum prestatutam iusticiam de eo iudicabitur. Si uero is qui lesus est defuerit. nulli alij super hoc respondebit. Si aliquis eorum uni de ciuibus mercimonia qualiacunque uendiderit. si emptor ea que emit non preuidet. sed extra ciuitatem duxerit. et postea uenditorem super uili mercatione coram iudice conuenerit. uenditor super ipsa mercatione non respondebit. Quod si dampnum absconditum post mercationem factam ciuis inuenerit. et hospes dampnum sine iudice emendare uoluerit. iudex postea uerbum ad hospitem super hoc facto non habebit. Si pannum incisum hospes uni ciuium dederit. et emptor uenditorem super hoc coram iudice pulsauerit. si hospes sola manu se hoc ignorasse iurauerit. iudici nichil penitus propter hoc soluet. sed dampnum tamen emendabit. Porro si iurare noluerit. dimidium talentum iudici dabit. et preconii duodecim denarios. Uolumus etiam ut sine omni impedimento emant aurum. cutes. et omnia que uoluerint excepto argento. Item de onere plaustrum quod uulgari dicitur ain wagen giwant. sicut funibus circumligatis a colonia (Köln)

*) Orig. Perg. im königl. bayr. Reichsarchive zu München. Abthlg. Regensburger reichstädt. Archiv.